



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Medvlla Theologiæ Moralis**

**Busenbaum, Hermann**

**Monasterii Westphaliæ**

Dub. III. Quibus casibus donatio possit revocari?

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40957**

DUBIUM III.

Quibus casibus donatio possit re-  
vocari?

Resp. I. Donatio inter vivos, hoc est, quâ quis vult se vivo rem absolutè alterius esse, potest revocari, (etsi res jam tradita sit) tribus casibus; nisi tamen donatio fuerit renunciatoria, aut facta sit Ecclesiæ, vel monasterio. Sunt autem hi Casus.

I. Si donatarius enormiter ingratus sit: ut si donanti atroces injurias inferat, si inopia pressum non alat, &c. Quod notandum pro filiis, quibus parentes omnia donarunt, & eos postea negligunt, *Sylv. Less. Bon. Trul. c. 17. d. 2.* Neque valet pactum, ut donatio non possit ob ingratitudinem revocari, *Bartol. & alii 8. Lugo Dian. p. 8. t. 6. R. 57.* Debet tamen ingratitudo coram Judice probari, ante cujus sententiam donatarius non tenetur restituere. *Molin. Lugo & alii 4. Dian. l. c. R. 85.* post eam verò etiam fructus perceptos post litem contestatam. *Mol. Dicast. Dian. R. 58.* Ab hæredibus autem non potest revocari ob eas causas, ob quas donator ipse potuisset, si eas ipse scivit, & tacuit, secus, si ignoravit, *Gomez. Hurt. Wading. Lugo Dian. l. c. R. 54.*

II. Et quidem hæc revocatio etiam habet locum in legato, respectu legatarii, si defunctum testatorem gravi injuria afficiat, v. gr. uxorem ejus carnaliter cognoscat; *Molin. Dicast. Dian. l. c. R. 18.*

III. Non autem habet locum i. in donationibus factis Ecclesiæ, tametsi Prælati vel Clerici fuerint ingrati: quia facta est ob bonum anime testa-

statoris, & principaliter Deo, qui ingratus esse non potest, *Less. Lugo, Hurtad. Hun. Wading. Dian. l.c. R. 56.* 2. In donatione remuneratoria (v. gr. pro beneficiis aliis non debitis, & aliquo modo æquivalentibus) quia potius est remuneratio, quam donatio. Remuneratoria autem censetur, 1. si donator in ipsa donatione expressè meminerit meritorum, vel 2. si de meritis constet. 3. In dubio, *Dian. l.c. R. 115. 16. 17. 19. 20. ex Barbo- sa, &c.*

IV. Si quis prole carens magnam partem bonorum donaverit, & postea nascatur proles: quia ex juris dispositione inest donationi hæc tacita conditio, nisi nascantur mihi liberi. Et quidem si facta sit extraneo, revocari potest tota, si alicui ascendentium, ut patri, vel ayo, vel si Ecclesie, aut causis piis, tantum revocari potest, quantum necessarium est, ut filii habeant legitimum. Quamquam rectè notat *Lessius*, ad ædificationem expedire, ut quod Ecclesie vel monasterio datum est, Prælati totum restituat. Porro etsi juraverit se non revocaturum donationem, adhuc potest liberis natis revocare; quia hoc iuramentum non excludit tacitam conditionem dictam. Excipit, nisi expressè etiam hanc, conditionem exclusiverit, tunc enim ipse revocare non posset, possent tamen ejus liberi, post mortem patris, *Bon. Less. c. 18. d. 14.* An autem hæc revocatio locum habeat, si filii nascuntur illegitimi, qui postea legitimentur, v. *Dian. l.c. R. 63. & 64.* Item an in donatione remuneratoria, *R. 65.* ubi cum *Moli. & aliis 6.* negat, nisi excedat causam.

V. Si donatio fuerit inofficiosa, contra officium paternæ pietatis, ut si pater tantum donet, ut filii priventur sua portione legitima: tunc enim post mortem patris possunt filii revocare. *Nav. c. 26. Less. l. c.* licet donatio fuerit juramento confirmata *Megal. & alii s. Dian. p. 6. t. 8. R. 66.* Imò etiam vivente patre: licet enim ante mortem patris non debeatur legitima, ut tradenda, debetur tamen ut conservanda. Hinc si pater bona dissipet, potest à filio per judicem cogi, ut servet legitimam, ne is post mortem patris careat alimentis. Ita probabiliter *Dian. l. c. ex aliis d. contra Less. & c.* An autem & quando donatio rescindenda in totum, *v. Dian. l. c.*

VI. Per supervenientiam liberorum, ut probabilius affirmat *Dian. p. 8. t. 6. R. 78. ex aliis 4.* contra quosdam. Si tamen pater non revocaverit, non potest à filiis postea natis revocari, nisi pro ratione falcidiæ, sive ex testamento, sive ab intestato successerint. *ibid.*

DUBIUM IV.

*Quid sit donatio mortis causa, & an possit revocari, quomodo, & quibus competat?*

Resp. I. Donatio mortis causa, qua quis sic donat, ut velit rem esse alterius primum post suam mortem, ut si dicas, do tibi hoc post mortem meam, vel cum moriar, vel quia timeo me nunc moriturum, revocari potest etiam tribus casibus his.

I. Si